REGULA

CONGREGATIONIS MISSIONIS A PRETIOSO SANGUINE D. N. J. C.

ROMÆ 1850.
APUD JOANNEM OLIVERIUM TYP. UNIV. ROM.
Cum permissu.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/regulacongregati00soci

REGULA

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi.

Quum inter plurima beneficia, quibus exiguam familiam nostram Sancta Apostolica Sedes cumulavit, illud in primis numerandum sit, quod ipsamet nobis domicilia in ditionibus suis sacra ministerii caussa constituerit, omnem sane industriam adhibere necesse est, ut inchoatum opus, Deo propitio, ad felicem exitum perducatur; eaque ratione nonnihil adjumenti Christianae reipublicae in hac temporum calamitate obveniat. At sine legum praesidio, quae institutioni nostrae optime respondeant, conceptam sui expectationem vix dum oborta praecideret Congregatio. Quare habito virorum consilio, qui vitae sanctimonia, eruditionis copia, rerumque usu facile praeclarissimi sunt, aliqua nobis heic praescribere, atque in unum codicem redigere visum est, quae cum praesenti, tum futurae sodalium conditioni satis prospiciunt, modo ad illa probanda suprema sit auctoritas accessura.

TITULUS PRIMUS

DE FINE CONGREGATIONI PROPOSITO.

Expedit ipso in limine quaedam ob oculos ponere iis, qui societatem nobiscum inire voluerint, ut sciant, quonam veluti ad finem studia sua referre debeant.

1. Id igitur consilii est Congregationi, ut ejus Alumni, qui ad Clerum saecularem pertinent, actiones, vitamque universam ex sacrorum Canonum praescripto componant; neque solum perfectioni suae adipiscendae, sed aliorum etiam saluti curandae insistant.

2. Ex quo intelligitur sodalibus id plane agendum, quod cuique fideli ministro Domini comune est. Sed eorum erit praecipuum, sacris expeditionibus, quas vocant Missiones, totos sese mancipare, ac Fideles spiritualibus exercitationibus erudire: quae duo operum genera uberem fructum parere consuescunt.

3. Haec quidem postulant, ut ab omni impedimento soluti ad peragranda varia loca pro Christi legatione parati sint; quocirca illa munia, quae sedem fixam habent, suscipere prohibentur.

4. Quamvis aequum sit, ut adscripti in vitae hujus perpetuitate sibimet ipsis constent;

quod susceptum consilium sine justa caussa abjicere, res plena aleae foret, nullius tamen voti, sed liberae caritatis vinculis Congregationi adstringuntur.

5. Militiam vero excercentes sub signis, ac nomine pretiosi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi nihil antiquius habeant, quam cultum eidem exhibere, et longe lateque diffundere; de hoc enim fonte omnium gratiarum copia profluit. Hinc sibimet indicta esse existiment, quae monet Apostolus: „ *Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, idest carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit); et consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum non deserentes collectionem nostram.* (ad Hebr: c. 10.)

6. Singulari quoque pietate, ac veneratione beatissimam Virginem, et Dei Matrem Mariam prosequantur, cujus tutelae jam inde a principio, se, suaque omnia Congregatio com-

misit, et sacris ministeriis fungendo eam potissimum sub invocatione Auxilii Christianorum deprecentur, uti SS. D. N. Pius Papa VII. exemplo suo nobis praeivit, mandavitque.

TITULUS SECUNDUS

DE INTERIORI, AC DOMESTICA DISCIPLINA.

7. At nulla est caussa cur ad mores dirigendos multa documenta persequamur, quum haec a pontificiis sanctionibus, ut innuimus, petenda sint; ideo paucis perstringimus, quae statum nostrum propius attingunt.

8. Est itaque caput, totiusque ordinis firmamentum, ut iis qui Congregationi praesunt, sodales obsequentes sint: atque etiam ad summam virtutem comparandam peculiari animi moderatore singuli utantur, cujus fidei, ac potestati loco Dei sese permittant; qua in re consultius agent, si prudeutem virum ex eodem vitae instituto sibi delegerint.

9. Voluntatis consensione devincti studio divini obsequii, ac mutui profectus promovendi flagrent: debitum inter sese honorem deferant: et gerendi, agendique gravitati comitatem adjungant.

10. Diurna pietatis exercitia sedulo perficiant; nempe in uno loco, et quoad fieri po-

terit, ante Aram augusti Sacramenti congregati sanctae meditationi dent operam: pariter ad preces ante prandium, et nocturnam quietem fundendas conveniant, et conscientiam suam ad meridiem ac de sero expendant.

11. Discumbendo seipsos non solum frugi cibo, sed etiam utili lectione reficiant; ac postquam jucunda, atque urbana consuetudine animum simul relaxaverint, indicto recessu, qui pomeridiano tempore pro rerum concursu protrahi, vel contrahi solet, in cubicula sua sese recipiant.

12. Silentium, quod tranquillitatem conciliat, pro loco, ac tempore, praesertim in mensa, et quoties catervatim incedere contigerit, custodiant, ac pressiori voce per aedium nostrarum vestibula, atque areas colloquantur.

13. Aditum foeminis non solum intra domum, sed etiam in septa eidem continentia intercludant; et quamvis pauci degant sodales, nemini uspiam fas sit legem hujusmodi violare, quae pro sacri ordinis sanctimonia, ac dignitate tutanda maximi est momenti.

14. Prohibentur superioris injussu, et sine comite domo egredi; per vicos, et compita ociose vagari; ludis cujusvis generis, qui publice aguntur, interesse; atque etiam domi alienae

ad mensam consistere, nisi forte excipiantur hospitio, vel alia gravis caussa incidat.

15. Cum Clero romano exteriori cultu, habituque congruant; prolixa veste incedant prae se nitorem citra luxum ferendo, a sericisque se abstineant. Hoc unum tanquam Congregationis signum eisdem sit, nimirum Crucifixi typus, qui catenula ex aurichalco e collo pendens ad fasciam nectitur, illumque sacra peragendo ministeria, et extra Urbem gestent.

16. Quia animi vires, quae forte inter occupationes frangi possent, recreandae sunt, integrum diem per mensem singillatim sacro recessui impendant, quo in commentatione mortis versentur Deique opem enixius implorent. Itemque universi quotannis asceticas exercitationes decem dierum curriculo omni cura, externoque ministerio expediti persolvant; quod fieri solet paullo ante diem festum Sancti Francisci Xaverii, qui praesentissimus Instituti Patronus colitur.

17. Quemadmodum vitae exemplo, ita rerum humanarum, divinarumque cognitione aliis praefulgeant, operet; quamobrem praeter tempus, quod privato studio daturi sunt, literarium conventum statis diebus per hebdomadam agant, ubi de Sacra Scriptura, de Theologia Dogmatum, et morum, de Mystica, et Lythur-

gia, et de sacra Eloquentia per ordinem pertractent.

18. Verum dogmata definita ab opinionibus, placitisque Scholasticorum secernant ; modumque in disputationibus adhibeant: quod si scripta in lucem edituri sint, eadem supremi Moderatoris judicio prius submittant, quam consuetis, externisque censoribus deferant.

19. Quamvis in officio suo se se continere, nec variis sociorum negociis temere implicare debeant, quae tamen deprehenderint familiae nostrae usui fore, aut ad malum, quod forte irrepserit, amovendum accommodata, poterunt, servato ordine, suggerere, et ex aequi, rectique legibus quandoque pandere adigentur, ut salubriora consilia capiantur.

20. Qui Congregationis Ministri designantur, oblata munia sine excusatione legitima ne respuant ; si enim dominandi cupiditate eadem appetere vitii est, superioris quidem nutu inire virtutis est.

21. Postremo de praesignata statione in aliam pro suo arbitratu ne commigrent ; neve in patria apud consanguineos, quorum nimius amor cohibendus, sine venia subsistant.

TITULUS TERTIUS

DE SACRIS OPERIBUS RITE INSTITUENDIS.

Quibus rebus pro vitae consuetudine constitutis, nonnulla adjicimus, ut pia opera aggredienda commode, feliciterque cedant.

22. Sodales itaque praeter communes Ecclesiae constitutiones, notrosque usus, noscant, etiam Dioecesium, ubi comorantur, synodalia decreta, ne quid hisce omnibus absonum admittant.

23. Quaerentes solummodo quae sunt Jesu Christi, sint ab omni avaritiae specie remoti; nec fidelium oblationes, neque stipendia, quae forte ex ministeriis, eorumve occasione dimant, in proprios ac privatos usus insumant.

24. Quae pro concione dicturi sunt, Dei adjutorio implorato, diligenter struant: nimirum posthabitis argumentis, quae sunt doctorum contrariis perplexa sententiis, seligant certa, ac perspicua populo tradenda ad morum informationem, salutemque utilia; et sermonis facilitate auditorum sensui, atque intelligentiae sese accomodent, quin dignitati divini verbi quidpiam imminuant.

25. In cognoscendis caussis sacri fori Poenitentiae eam asperitatem effugiant, quae fide-

les ab hoc salutari Sacramento percipiendo deterrere posset; sed omnes profusa caritate amplectantur, pudorem aegre fatentium sublevent; quantumvis atrocia probrosaque auscultent, humanae imbecillitati compatiantur; et ne quis desperet veniam, divinae misericordiae divitias praedicent; hac enim indulgentia cum disciplinae moralis eruditione conjuncta, plurimos a vitiis ad virtutem perducent.

26. Quo vero tempore domi permanent, hoc sanctum munus congruenti ordine obibunt, ut confluentibus satis pro illorum religione, ac multitudine faciant, simulque ad reliquas vitae suae exercitationes sint expediti.

27. Cum domicilia nobis ideo constituantur, quod in locis, ubi posita sunt, omnem pietatem excitent, potiorem curam habeant de civibus, quibuscum degunt; ac provideant, ut evangelicis operariis alio missis, ibidem idonei supersint, qui interiorem foveant disciplinam, et in externis muniis versentur.

28. Abstineant alio pergere ad sacrum celebrandum, nisi justa exceptionis caussa concurrat, sed templa sua assiduo famulatu colentes ibidem ordinarias functiones, atque alias pro temporum, locorumque diversitate quam decentissime agant. Solemne habeant in prima Sacrificii oblatione quotidie coronam pretiosi San-

guinis recitare, cui omnes socii non Sacerdotes assistere debent; item dominicis, festisque diebus fideles catechesi vel concione erudiant: insuper mensem Maji Beatissimae Virgini Mariae, ac Junium sacratissimo redemptionis Pretio, ejusque misteriis devoveant.

29. Cum ad sacras expeditiones delegantur, mandata comitiorum, seu Moderatoris Generalis perficiant; atque in singularibus, quae se tum offerent, occasionibus rerum gereudarum, quid magis profuturum, Sanctorum exemplis, qui apostolico munere egregiam laudem adepti sunt, consultatione, praesentique experientia edocebuntur.

30. Ceterum totos sese impendant exercitio dicendi ad concionem, audiendi confessiones, congregandi varios hominum coetus ad distinctas, ac praecipuas cohortationes, adeundi, ac solandi languentes in valetudinariis, et vinctos in custodia, omnes denique ad Sacramentorum usum, virtutumque progressus incitandi, quibus officiis rite expletis, rem Christianam bene juvabunt.

31. Pias exercitationes sive publice ad populum, sive ad peculiaria collegia, sive privatim in domo Missionis tradituri, ducem sequantur, quoad ejus fieri poterit, librum Divi Ignatii, qui Apostolicae Sedis judicio compro-

batur; atque asceticas cohortationes, et commentationes auditorum ordini, conditionique attemperent.

32. At vero quos sacri recessus caussa domi exceperint, illos a familia sejungant, ut quieti utriusque partis melius consulatur; eosdemque non solum spiritualibus subsidiis communire, sed etiam comitatis officiis sibi demereri studeant.

33. Si quis praedictorum operum gnarus ad praebendum verae religionis lumen haereticis, atque Ethnicis, Dei gratia excitante, animum induxerit, id Generali Moderatori significabit, qui post deliberationem de hoc negotio in comitiis habitam, necessariis rerum adjunctis concurrentibus, eumdem sacro Consilio Christiano nomini propagando supplex commendabit.

TITULUS QUARTUS

DE RE FAMILIARI ADMINISTRANDA.

34. Quod autem ad temporalia spectat, ejusmodi est Congregationis, et membrorum conditio, ut ad rem divini obsequii, ministeriique libertatem haud exigui momenti videatur, aedes nostras congruo censu instructas esse.

35. Jamvero si forte contingat, ut praeter bona ad nutriendam familiam assignata, alia insuper extent ad cultum templi, et sacras expeditiones, tum etiam ad asceticas exercitationes constituta, illorum administratio pro objectorum varietate erit secernenda.

36. Aequa distributione Curator rei domesticae proventus in alimoniam, suppellectiles, ac reliqua necessaria insumat: itemque videat, ut una, eademque omnium, quantum fieri poterit, sit vivendi ratio.

37. Etsi cuuctis ferme rebus, quae ad cultum vitae requiruntur, praedicta administratio prospiciat, curam tamen vestium comparandarum sociis dimittit; quandoquidem patrimonia, ac bona, quae singuli possident, necnon stipendia, quae pro Sacrificiis faciendis Superior distribuit, eisdem sarta tecta relinquuntur.

38. At vero illis, qui ad famulandum admittuutur, etiam vestes suppeditantur; nihilque obstat, quominus idipsum cum aliis agatur, qui idcirco quaestus suos Congregationi cedere velint.

39. Dispendia itinerum, quae saepius habentur, hoc pacto sustinenda; nimirum si visitationis caussa iter suscipiatur, sumptus faciant aedes visitandae; si ad mutandam stationem, ipsa domus, quam petit socius; si debeat

aegrotus ex medicorum consilio caelum mutare, tum domus, unde digreditur, et pro reliquis subsidiis illa, quo profecturus; si quis demum iter suopte ingenio conficiat, quamvis accepta facultate, de suo consulat, opus erit.

40. Administratio templi, ubi opes suppetant, funus peragit in obitu Sodalium; quod si forte oneri sustinendo impar sit, rei domesticae curatio supplebit. Sed praeter pia auxilia in depositionis loco exhibenda, est quoque in more positum, ut socii universi pro cujusvis expiatione operam conferant; Sacerdotes enim semel divinam hostiam immolant, reliqui integrum Mortuorum Officium persolvunt, triduoque sacra synaxi reficiuntur; qui vero famuli sunt ter Sacramenta percipiunt, totidemque vicibus iter D. N. J. C. ad Crucem celebrant.

41. Verum ut eo, unde discessit, sermo revertatur, administratores acceptum, et expensum in adversaria referant: testimonia, probationesque retineant: monumenta archetypa, et chartas omnes in Tabulario per ordinem custodiant, ut expeditas, quotiescumque oportuerit, liquidasque rationes reddere possint.

42. Caveant praeterea, ne aere alieno patrimonium vexent, neve facultatum limites transiliant, gravioris momenti negotia, et contra-

ctus ineundo, aut lites intentando, aut assignationes, donationes, legata, aliaque id generis, quae cuipiam oneri sint obnoxia, acceptando, quin placitum eorum ad quos pertinet, obtinuerint.

TITULUS QUINTUS

DE MODO ATQUE ORDINE AGGREGANDI SOCIOS.

43. In deliberatione de iis admittendis, qui in numerum nostrum referri cupiunt, serio inspiciendum queis animi, corporisque dotibus, qua praesertim virtute, ac scientia praediti sint: totius enim Congregationis incolumitas a sociorum delectu proficiscitur.

44. Qui ergo canonico impedimento irretiti sunt; item qui valetudinis infirmitate, vel senio affecti plus ponderis, quam subsidii delaturi videntur, omnino excludendi: neque illis, qui olim religiosae familiae addicti fuerint, facilis patescat aditus.

45. Nuper adscripti per annum (et amplius si necesse sit) sacris operibus pro modo ingenii, viriumque, ductu Praesidis fungentur; solidisque argumentis ostendent, quidquid exigendi ratione voti Congregationi jus esset, id totum sponte sua sese in posterum perfecturos.

Interea neque comitiis adesse, neque muniis praefici poterunt; sed cum probati fuerint ad audiendas fidelium confessiones, praemissis per decem dies asceticis commentationibus, facultate solummodo gestandi in pectore Crucifixum potientur.

46. Atque ut possit quispiam experimenti gratia introduci, tum in Album nostrum cooptari, supremi Moderatoris auctoritas requiritur, qui neminem decreto suo in vitae instituto firmabit, nisi ex comitiorum suffragiis idoneum esse compererit.

47. At juniores quoque Clerici in convictum admittuntur, dummodo integris moribus floreant, atque ingenii vi, optimisque artibus ad sublimiores disciplinas sint comparati, adeo ut bonam spem afferant, utiles Ecclesiae, Congregationisque ministros aliquando futuros.

48. Qui etiamsi eamdem propemodum cum Collegio nostro vivendi rationem teneant, ab illo tamen loco, et consuetudine sejunguntur, omnemque commoditatem habent vacandi orationi, regulari studiorum curriculo, praelectionibus, repetitionibus, et reliquis exercitiis, quibus animum non solum pietate, sed et scientia exornare possint.

49. Solertiae, ac facultatis suae specimen saepe dabunt periculum subeundo; atque etiam

in arenam literariam publice, si expedierit, descendent; neque ad Sacerdotium initiabuntur, antequam universae Theologiae moralis fundamenta edocti fuerint. Praeceptores vero habebunt eruditos de coetu nostros viros, qui extra tempus, quo a lectionibus feriantur, numquam ad alia ministeria mittendi erunt.

50. Ad illa denique officia perficienda, quibus Ecclesiastici occupari non solent, laici homines bonae frugis, qui evangelica decreverint inire consilia, et vigesimum saltem aetatis annum expleverit, adsciscuntur.

51. Hoc illis vehementer commendatum volumus, ut vitam ex praescripto domestici ordinis pro eorum conditione instituant, et jussa integre, fideliterque capessere adnitantur. *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo* (Eph: c. 6.) Ad Sacramenta octavo quoque die accedant, asceticae cohortationi sacri recessus loco singulis mensibus habendae intersint, atque alia pietatis opera, uti mos est, compleant: in quibus omnibus, ubi sese vel per annum exercuerint, Instituto adscribentur.

52. Nemo porro sibi blandiatur, etiamsi legibus male pareat, et perfectionis suae curam utcumque remittat, nihilominus in Congrega-

tione se permansurum. Si quis vero, quod Deus avertat, dimissus fuerit, vel sponte castra deseruerit, nullum jus habebit temporalis lucri pro exantlatis laboribus vindicandi, redituque in perpetuum prohibebitur.

TITULUS SEXTUS

DE OFFICIIS CUJUSQUE DOMUS DISTRIBUENDIS.

Nunc sequitur, ut de distribuendis officiis disseramus, quibus tam multa rerum varietas in unitatem coalescat.

53. Extat igitur Praeses, qui ad incorruptam legum observantiam, atque etiam tutamentum constitutus est, ac principem honoris locum obtinet. Hic enim advigilat, ne mali usus obrepant, officia, quae forte vacant, vel sunt intermissa suscipit; aegrorum curationi consulit, illisque Sacramenta impertit; omnibus demum, qui ad tirocinium, vel ad convinctum admissi sunt, pleno jure praeficitur.

54. At vero quod pertinet ad gubernationem domus, Superioris est, qui proinde consuetas familiae actiones dirigit; prudentique consilio quae in bonum cessura sunt disponendi potestatem habet; idemque absentis Praesidis partes sustinet.

55. Consequuntur autem alii Ministri, videlicet Pro-Superior, qui et a Secretis domus, et Bibliothecae, Tabulariique Custos: tum Moderator sacrarum expeditionum; deinde spiritualium exercitationum; hinc Templi, Sacrariique Praefectus, cujus est potissimum nomina Fidelium inter pios cultores pretiosi Sanguinis recensere; denique rei domesticae Curator.

56. Sed omnes ad unum visitationis tempore a generali Moderatore eliguntur, qui hujus rei caussa secretum scrutinium peraget, comitiaque coget.

57. Quia vero actuosae vitae firmitas in eo posita est, ut omnes inter se partes consentiant, ideo in consilii communionem socii per superiorem saepenumero vocabuntur.

58. Etenim complura comitiis definire datum est; ac praecipuo jure ad ipsa pertinet diurnas familiae actiones, templique functiones ad congruentem horarum indicem ordinare; res temporales gravioris ponderis agere, rationesque ab administratoribus munus abdicantibus praeter visitationis tempus exposcere; sacra ministeria non tantum domi, sed quocumque nostri advocati fuerint, constituere, atque eisdem implendis sodales designare, ac praeponere; auxiliares denique ministros a vicinioribus aedibus, quando opus erit, conquirere.

59. Per secreta vero suffragia comitia expediant quae sibi negotium facessere possunt; quod si forte suffragia in utramque partem aeque scindantur, denuo scrutinium fiat, et quatenus decisio adhuc haberi nequeat, res componenda ad Moderatorem Generalem devolvatur. Omnia quæ alicujus momeuti tum constituerint in codice conscribant, ne qua intercipiat oblivio.

60. Similiter comitiorum erit quotannis ad Generalem Moderatorem mittere commentariolum de rebus, Deo juvante, gestis, quas annalium monimentis commendandas esse censuerint.

TITULUS SEPTIMUS

DE UNIVERSAE CONGREGATIONIS REGIMINE.

61. Ex his, quae hactenus commemorata sunt, patet, singulas Missionis domos inter se conjunctas esse, unique regimini obtemperare; quod in multam vertit utilitatem, sternitque viam latissime in vinea Domini adlaborandi.

62. Cumque Sanctae Apostolicae Sedis auctoritate nata sit Congregatio, et ejus imperio non comuni tantum jure, sed firmiori nexu obstringi, ac subjici glorietur, aequum est, ut Missionis domus in alma Urbe existens sit ceterarum caput; ibique sub ejusdem Pontificis

Maximi obtutu, atque obedientia is resideat, qui hoc opus ad divini Numinis, Ecclesiaeque obsequium legitime dirigere debet.

63. Generalis quidem Moderator semel adlectus, perpetuo manet; pleuamque gerit potestatem, quae solum hisce legibus circumscribitur.

64. Hic singulas aedes quotannis, vel saltem tertio quoque anno visitandas curabit: tum indicta spiritualis recessus die, socios secreto conveniet; omnia scrutaturus, quae vel interiorem disciplinam, vel sacra opera, templique decorem, vel officiorum administrationem attingunt; convocatisque ibidem comitiis, decreta pro opportunitate faciet.

65. Illi vero integrum est partes suas cuipiam collegae delegare, ac vicariam potestatem, praecipue in dissitis locis, committere; itemque jura quae sunt ordinariis comitiis tributa, imminuere, quando id necessitas, vel commodum suadeat.

66. Eumdem vitae, et officiorum ordinem in aedibus Urbis perinde ac in aliis custodiat; et quos inibi ad obeunda Familiae munia legerit, eos ad gerenda quoque Congregationis universae negotia assumat, nimirum priores quatuor socios ad res definiendas, ac tres proximos ad consultationem.

67. Definitoribus, sicut ex vi nominis elucet, interponendae sententiae jus erit; Consultoribus non item, quia hi adsciscuntur tamquam locupletes testes de rebus tractandis, sed si quis illorum abfuerit, per ordinem eidem succedunt, adeo ut quinque suffragia ex ipsis una cum Moderatore habeantur.

68. Praedictos ergo socios quoties expedierit, Moderator convocabit, atque omnia, quae pro re nata voluerit, illis deliberanda permittet. Extant autem quaedam caussae majoris momenti quas ipsemet sine comitiis cognoscere non debet: tales sunt, primum quaestiones, quae circa leges, et consuetudines nostras fortasse suboriri possunt; deinde novarum Missionis aedium erectio, erectarumque abolitio; denique sodalis jam probati dimissio, qui sciens volens eam patraverit culpam, ob quam mereatur, uti membrum noxium, a corpore abscindi; qua in re pro sua prudentia consideratissime procedat: neque enim comitiis hujusmodi caussam dijudicandam ante proponat, quam omnes lenitatis rationes pertentaverit.

69. Illud quoque observandum, quod Praeses primariae domus est etiam Pro-Moderator generalis; atque ibidem alii duo Ministri designantur, quorum unus est a Procuratione, alter a Secretis Congregationis. Hisce accedit Socius,

cui onus exarandorum Annalium Missionis imponitur.

70. Vita functo Supremo Moderatore, Instituti clavum tenet Pro-Moderator praedictus, qui literas quamprimum mittendas curabit ad singulas domos, ut adhibitis per septem dies ad caeleste lumen obtinendum precibus, electio dignioris viri qui succedere debet, rite recteque expediatur.

71. Demum accurate observentur, quae jure canonico pro electionibus decreta sunt, omni honoris cupiditate, vel partium studio remotis.

Haec potissimum sancienda esse diximus, quibus infractis, non posset diu consistere Congregatio, quin imo in perniciem cito rueret, aut certe a primigena institutione sua deflecteret. Quod reliquum est, assiduae ad Deum Optimum Maximum preces fundendae sunt, ut debilibus industriae nostrae conatibus adsit; atque hunc recentis plantationis hortum, quem ipsemet singulari beneficio posuit, purissimo Sanguine Christi sui irriget, participem opum efficiendo, quae in universam Ecclesiam Redemptoris virtute jugiter conferuntur: *Ego sapientia effudi flumina: ego quasi trames aquae immensae de fluvio: ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquaeductus exivi de Paradiso: dixi: Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati*

mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius appropinquavit ad mare. (Eccl. c. 24.) Tum enim laetissimos, optatissimosque operum fructus afferent Sacerdotes nostri, quibus et Deum oblectabunt, et homines pascent, et morbis medicinam facient; ac tandem mirificae illius, quam Ezechiel suspexit foecunditatis imaginem exprimere poterunt: *Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquae ejus de Sanctuario egredientur; et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam.* (Ezech: 47.)

GLORIA DEO ET AGNO.

DECRETUM

Sacerdos Gaspar del Bufalo anno 1814 nutu Pii VII. prima fundamenta jecit Congregationis Presbyterorum Saecularium, quam a *pretioso Sanguine* appellandam esse duxit. Eum autem finem pius ille Institutor sibi, et suis Sodalibus propositum esse voluit, ut universam vitae rationem ex praescripto Sacrorum Canonum compararent, propriamque, et proximorum sanctificationem, praesertim sacris expeditionibus, et spiritualibus exercitationibus curarent.

Benedixit Deus huic operi, et novae Congregationis domus, vivente adhuc ejus Auctore, et post ejus obitum pluribus in Dioecesibus erectae sunt; quin imo spes modo effulget, ut pia Societas in dies augeatur, et in exteras quoque regiones diffundatur.

Verum ejusdem Alumnis plurimum Instituto deesse visum est, donec illud, et Constitutiones, quibus regitur, Apostolica Auctoritate probatae non fuerint. Supplices propterea Sacram hanc Congregationem Episcoporum, et Regularium nuper adierunt, exhibentes literas Episcoporum, quibus Societas ipsa commendatur.

Sacra igitur Congregatio, attentis literis commendatitiis Episcoporum, sedulo diligenterque perpenso scopo piae Societatis, nec non uberibus fructibus, qui ex sacris expeditionibus, et piis exercitationibus sperantur, inspectisque Constitutionibus, censuit, si Sanctissimo Domino placuerit, praefatum Institutum summopere laudandum, et commendandum esse, ejusque Constitutiones, prout in hoc exemplari exhibentur ad scopum obtinendum esse accommodatas, et nihil obstare quominus eisdem Constitutionibus regatur; salva tamen Ordinariorum jurisdictione. Sed ad evitandas quaslibet dissidii caussas, quae fortasse inter enunciatos Presbyteros, et Parocos oriri possent, eadem Sacra Congregatio expedire judicavit, ut praefatae Societatis Domus, et Alumni, quamdiu in ipsa Societate remaneant, a dependentia Parrocorum eximantur, praesertim in receptione Sacramentorum etiam tempore Paschatis, et quoad Funeralia, et quartam funerariam, dummodo Alumni ipsi intra Domos Congregationis moriantur.

Et facta praemissorum relatione Sanctissimo Domino Nostro Gregorio PP. XVI. in Audientia habita a Sub-Secretario die 17. Decembris 1841., Sanctitas Sua resolutionem Sacrae

Congregationis in omnibus ratam habuit, et confirmavit, ac super expressam exemptionem a Parochis benigne impertita est: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae etc.

C. Card. Patritius Pro-Praef.

Loco ✠ Sigilli

F. Archiepiscopus Tarsensis Secret.

IMPRIMATUR

F. D. BUTTAONI O. P. S. P. A. M.

—

IMPRIMATUR

J. CANALI PATR. CONST. VICESG.